



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Formulæ pulcherrimæ quibus Obedientiam suam significat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

piti deliberatione fatigaretur. Inter Augustanas conciones dubitabat an esset lustranda Prouincia, ab Roma petebat responsa collectis in vtrāq; partem non ab se, sed à socio suo, missisq; rationibus. Præuidebat quæ Dynastas ex se pro temporum varietate petituros verosimile erat, præoccupabatq; sciscitari Præpositi Generalis sententiam.

Et quoniam ex abundantia cordis os loquitur, plenæ sunt eius Epistolæ his vocibus. Faciam quicquid Deus per meos superiores constituerit. In obedientiæ sanctæ decreto libenter acquiescā. Obedientia mihi ex quocunq; loco, vbi me collocet, faciet Paradisum. Hoc esse officij mei proprium fateor, vt quæ statuunt, & mandant mei superiores, exequar. Ut nihil discedam à præscripto sanctæ obedientiæ. Non recuso labore quem obedientiæ sanctæ deberi scio. Non eligam in Domo Domini esse aliud, quam iumentum apud te (Lainium Vicarium alloquitur) omnibus diebus vitæ meæ. Fiat Domini voluntas, & obedientia sancta per nos impleatur in omnib;. Dabit Deus his quoq; finem, & ego, vt spero, moriar filius obedientiæ in Christo Iesu Domino nostro. Valcent studia, si ab his auocat obediētia, cui me

*Formula puto
cherrime qui-
bus obedientiæ
suam signifi-
cas.*

totum debedo. Erit mihi semper acceptissimum
quicquid obedientiæ sanctæ visum fuerit. Ex vo-
luntate superiorum totus pendeo, quorum vo-
luntate nihil habeo antiquius quomodocunq;
de me tandem statuant Fiat voluntas Domini in
omnibus. Ego maioribus obsequi pergam, quic-
quid imperarint Christo auxiliante.

*Obedientia En.
digna perfecta.*

Prouincialatu defunctus, simplici, inexplo-
rata, cita, perfecta q; obedientia docilitatē vel no-
uitiorum primam ac facilitatem superauit, &
quidem in rebus, quæ magnā, iustumq; videban-
tur offerre causam sin minus tergiuersandi, certe
ad superiores aliquid deferendi. Etenim non se-
mel euenit, vt Generali Præposito, cū ex Prouin-
ciali cognouisset, quæ is de Canisio decretat, nul-
lo modo probarentur; vt cum Augustam ad cō-
fessiones audiendas, cum Oenipontum ad conci-
ones missus est: ille autem celeritate obediendi
præuenerat Generalis mandata. Quantum illud
sacrificij fuit, inchoatum de sancto Petro opus ad
tenuissimum nutum abiecisse, cum quæ de san-
cto Ioanne, atq; Deipara edita erant, tanto cum
plausu, & bono publico legerentur? Quantum
illud septem annis Oeniponti perseuerasse? septē-
decim